



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 111. Matthiæ clades a Turcis illata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

puli, atque potissima urbium pars; qua-
 propter hi omnes ducenta Aureorum
 millia Matthiæ in prætensæ fortitudinis
 præmium, necnon pro sustinendis belli
 sumptibus suppeditabant. Ad has ta-
 men suppetias Mediolanensium Dux ni-
 hil conferre voluit, eoquod minus credu-
 lus sibi tam facile imponi haud patieba-
 tur. Ex adverso Ferdinandus heroica
 hæc Matthiæ facinora multis deprædi-
 cabat; hujus enim gloria in proprium
 quoque redundabat honorem; quippe
 Matthias Beatricem spuriam Ferdinandi
 Filiam duxerat.

§. CXI.

Matthiæ clades a Turcis illata.

Verum Regis factus paulo post detege-
 batur; Turcæ enim factis excursio-
 nibus Carniolam, Carinthiam, & Stiriæ
 partem foede vastabant, ac omnia cædi-
 bus replentes plurima Christianorum
 millia secum captiva abducebant, mox-
 que plurimas munitiones vi expugnabant,
 eo majori audaciæ ac furoris fiducia,
 quod Mahometem ipsum cum validiori-
 bus copiis haud longe distantem compe-
 rissent. Bonfinius, qui Matthiæ laudes
 describendas suscepit, hanc cladem haud
 diffitetur, asseritque, quod Mahometes,
 cum ad solemnia nuptiarum, quæ Rex
 P p 3 cele-

Sæcul. XV.
 A.C. 1476.

Bonfin. 4.
 Decad. 4.

Sæcul. XV. celebraturus esset, totam ferme Hungariam confluere cerneret, hanc occasionem exequendis suis consiliis peropportunitam existimaverit, ac propterea clam quadraginta armatorum millia coegerit, & castella, quæ Matthias extruxerat, expugnauerit, captisque omnibus propugnaculis totam Daciam seu Mæsiam longe lateque victoriis suis emensus, cuncta igne ferroque vastauerit, demum quadraginta hominum millia utriusque sexus promiscua crudelitate abstraxerit. Hæc damna Regis Hungariæ mentem usque adeo dejiciebant, ut nihil ultra aduersus Turcarum insultus moliri auderet.

Papiens.

epist. 644.

Kranz. l. 13.

Blond. 18.

Nihilominus Summus Pontifex Matthiæ triumphos ad sydera usque extolabat, ac publicas preces pro felici armorum successu indicebat: siquidem Papæ persuasum erat, Regem tunc pro salute Reipublicæ Christianæ durissimam hiemem tolerare: cum tamen is toto illo tempore nuptiarum solemnibus intentus, domi tranquillam vitam ageret.

§. CXII.

Turcarum victoria de Venetis reportata.

Nec minus secunda Turcarum armis auerterat fortuna in ipsa Italia; atrocissimo enim prælio periit Hieronymus Veronen-